



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Bona Volvntas Optimæ Consentiens. Seu De Sequendo In  
Omnibus Ductu Providentiæ Diviniæ**

**Fouillon, Jean E.**

**Leodii, 1657**

VI. Insania & infælicitas fortunam sibi fingentium.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54992](#)

*est Dominus, & omnia quæ facit bonus, bona  
sunt necesse est.*

V.

*Insania &  
infelicitas  
fortunam  
sibi fin-  
gentium.*

Sed & hoc novit: infanos esse,  
qui suam sibi fortunam fingere  
& componere malunt, quàm à  
Deo accipere: quasi vel se ament,  
quantum amantur à Deo; vel sa-  
piant & pervideant utilia ac justa, ut Deus;  
vel Dei instar, cogitata ad effectum possint  
perducere. Neque insani modò sunt,  
sed etiam miserrimi, cùm id cogantur esse,  
quod nolunt. Dicebat Cyprianus libro  
de Pudicitia: *Semper est misera, quæ sibi  
non placet, qualis est.* Idem de homine  
quolibet, in quavis fortuna constituto,  
dixeris: miser est, qualiscumque & ubi-  
cumque sit, qui sibi non placet. Itaque  
qui semetipsum cruciare non vult, esseque  
sibi tortor equuleusve assiduus, faciat,  
quod à Seneca monetur, epistolâ 107.  
*Hyems frigora adducit, algendum est. Aëstas  
calores refert, aestuandum est. Intemperies  
cæli valetudinem tentat, ægrotandum est. Et  
fera nobis loco occurret, & homo pernicio-  
sior feris omnibus. Alium aqua, alium ignis*

M 2

eripiet.

cripet. Hanc rerum conditionem mutare non possumus. Id possumus, magnum sumere animum, & viro bono dignum, quo fortiter fortuita feramus, & naturae consentiamus. Natura autem hoc, quod vides, regnum mutationibus temperat. Nubilo serena succidunt: turbantur maria, cum quieverunt: flant invicem venti: noctem dies sequitur: pars celi consurgit, pars mergitur: contraria rerum aeternitas constat. Ad hanc legem animus noster aptandus est: hanc sequatur, huic pareat, & quaecumque sunt fieri debuisse putet, nec velit objurgare naturam. Optimum est pati, quod emendare non possis: & Deum, quo auctore cuncta proveniunt, sine murmuratione comitari. Malus miles est, qui Imperatorem gemens sequitur.... Hic est magnus, qui se Deo tradidit. Velis, nolis, ferendum est: cave onus exaggeres, ferre nolendo: &, quod longè gravius erit, cave ne tibi suppliciorum alterius vita pondus imponas, levia hujus pati recusando.

VII. Quan-